

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo Jacobi majoris apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Idem nobis observandum, si Deo sacrificium gratum offerre velimus. Non enim veniet in conspectum ejus hypocrita, Job. 13. v. 16. Quando igitur os canit & cor aliorum vagatur, Deo placere nequit. Homo videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor, 1. Sam. 16. v. 7. Dic ergo cum Davide: Benedic anima mea Domino, Psal. 103. v. 1. hæc jucunda, decoraque laudatio, Psal 147. v. 1.

III. *Officiositatem cole.* Hæc innuitur in prælecta Pericope, quando in calce Evangelii dicitur: Mansit autem Maria cum illâ, quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.

Procul dubio per hoc tempus Elisabethæ ministravit, & in œconomia ipsam fideliter adjuvit. Hinc conspicimus, quam laudabilis sit *officiositas* quâ alteri inservimus, si quidem hîc Maria propterea insigniter commendatur.

Hoc Christianismus noster requirit, qui nos constringit, ut alter, alteri serviamus

ex virtute, quam administrat Deus, 1. Pet. 4. vers. 11. sumus enim invicem membra: Non potest oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii, 1. Cor. 12. v. 21.

Christus ministrabat discipulis suis, lavando pedes eorum, Dominus servis, magister discipulis, nobis dansexemplum, ut quemadmodum ille fecit nobis, ita & nos faciamus, Joh. 13. v. 15.

Maximus exhibeat se, quasi minimus esset, in exantlatione Christianorum officiorum, exemplo primorum Christianorum, de quibus in Actis pluribus legitur. Hoc si fecerimus, nos Christi discipulos esse, demonstrabimus, Johan. 13. vers. 53. & palam propterea die ultimo à Christo commendabimur, & introducemur in Regnum, paratum nobis ab exordio mundi, Matth. 25. v. 4.

Quod nobis largiatur SS. Trinitas, Amen.

IN DIE FESTO JACOBI MAJORIS APOSTOLI.

Evangelium Matth. 20. v. 20. -- 23.

EXORDIUM.

CUm Josepho nunciaretur, quod agrotaret pater suus, ille assumptis duobus filiis, Manasse & Ephraim, patrem suum invisit, procul dubio ut benediceret his duobus filiis: quod & Jacob impositione manuum suarum fecit, Gen. 48. v. 1. seqq.

In prælecta Pericope *duorum filiorum Zebedæi mater* accedit Christum, cum per-

cepisset, quod brevi moriturus, & discipulis suis aliisque familiaribus valedicturus esset: rogans, ut *sedere faciat filios suos duos unum ad dexteram suam, & unum ad sinistram* in Regno suo, antequam discedat.

Verum quia petitio ejus iniqua erat, & illa ad alium scopum tendebat, quam Josephus cum duobus filiis suis, non impetrabat benedictionem à Christo, ut Josephus

rrrr

phus

phus à patre pro filiis suis eam impetraverat, sed Servator legatis ipsis calice, & baptismo crucis, ait: Calicem quidem meum bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum, dare vobis: sed quibus paratum est à patre meo.

Nos methodi nostræ observantes, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Quando Deus Esa, 49. v. 15. ait: Nunquid potest mulier oblivisci infantem tuum, ut non misereatur filii uteri sui? considerandam nobis exhibet naturalem *5022*, quam parentes ergà liberos habent: hinc etiam est, ut quilibet pater & mater filii salutem pro virili querat & promoveat. Sicut id ipsum quoque videmus, in prælectâ Pericope, in Salome, quæ ob filiorum suorum temporalem salutem Christum accedit, eumque orat, ut præ aliis ipsis proedrian in Regno mundano, quale sibi finxerat, concederet: quod quidem non iniquum fuisset, nisi temporalibus duntaxat intenta, mundanum filiorum honorem & gloriam adeò sollicitè quævisset.

Querela respicit

I. Amorem liberorum præposterum. Videmus hunc in Salome filiorum Zebedæi matre, quæ in hâc persuasione est, si filios suos ad mundanam gloriam evehere pos-

sit, se optime ipsis providisse. Atqui nullatenus reprehendenda videtur, quod filiorum curam gerit: quomodo enim mater filii oblivisceretur? Esa. 49. v. 15. sicut igitur ex animo dolet de miseria filii, ut in muliere Cananæa pater, Matth. 15. v. 22. ita è diametro lætitiâ afficitur, quando videt liberos suos in mundo fortunatos esse, sicut Bathseba gaudium suum contestabatur, cum impetraret, ut filius suus Rex eligeretur, 1. Reg. 1. v. 30.

Sic hodiè tenus adhuc officium parentum requirit, ut salutem liberorum procurent,

1. In spiritualibus, ut eosdem non modo educet in disciplina, & admonitione Domini, Eph. 6. v. 4. illis verbum Dei acuant, Deut. 6. v. 7. & quidem ab ineunte ætate, exemplo Timothei, de quo S. Literæ memorant, quod à puero sacras literas didicerit, 2. Tim. 3. v. 15. quo pro consuetudine exercitatos habeant sensus, ad discretionem boni ac mali, Ebr. 5. v. 14. quod cum primis nostri officii erit, in hâc mundi senectâ, quia Satanas valdè negotiosus est, ut malitia mutet intellectum juventutis, & fictio decipiat animas illius, Sap. 4. v. 11. Sed & parentes Christiani sedulo orent pro liberis suis, Deum sollicitantes, ut intellectum illorum illuminet, & det illis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus, in interiori homine, Eph. 3. v. 16. ut doceat eos facere voluntatem suam, & Spiritus suus bonus deducat eos in terrâ rectâ, Psal. 143. v. 11. ut custodiat eos à pravo sodalicio, fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, Sap. 4. v. 12. ut iisdem Angelos suos associet, qui custodiant eos in viis suis, Pl. 91. v. 11. Ejusmodi oratio

oratio parentum pro liberis suis, non sine fructu erit: nam benedictio patris firmat domos filiorum, Sir. 3. v. 10.

2. In Corporalibus. Quilibet enim domesticorum suorum curam habere tenetur, & qui id non facit, fidem negavit, & infideli deterior est, 1. Tim. 5. v. 8. thesaurizet oportet filiis, 2. Cor. 12. v. 14. obstrictus quoque est, ut conjugio ipsis prospiciat, & salutem eorum meliori modo promoveat, sicut Abraham procuratorem domus suæ Eleafarem ablegavit, ut duceret filio Isaac uxorem, Gen. 24. v. 1. seqq.

Verum hic plerumq; in excessu peccant, dum id modò student, quomodo liberis multas opes corradant, aut eosdem ad sublimes honores evehant, interea studium pietatis friger, connivent ipsis in variis flagitiis, & ne quidem frontem contrahunt adversus eos, ut Eli, 1. Sam. 3. v. 13.

Sapientia autem humiliati exaltabit caput illius, & in medio Magnatum considerare illum faciet, ut Siracides ait, c. 11. v. 1. id verò parentes non animadvertunt, sed studiis sprete, filios in Galliam & Italiam mittunt, ubi largam vitiorum messem metunt, aut in aulas Principum deferunt, cum tamen observare tenerentur illud Poëtæ:

Exeat aulâ, qui volet esse pius.

Ad Scholam liberos mittant, ut in pietate illi instruantur, sicut Hanna Samuellem disciplinæ Sacerdotis Eli subdidit, 1. Sam. 1. v. 25. Et David Salomonem misit in manu Nathan Prophetæ, 2. Sam. 12. v. 25. Hic optimus thesaurus est, quem parentes liberis suis relinquere possunt. Pietas enim ad omnia utilis est, promissio-

nem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, 1. Tim. 4. v. 8.

II. Tribulationis baptismum, de quo Servator: Potestis baptizari baptismate, quo ego baptizabor? Hic est baptismus crucis, quo Christus in passione suâ baptizatus est, Luc. 12. v. 50. & hodie tenus omnes pii baptizantur, quando aquæ usque ad animam intraverunt, Psal. 69. v. 2. & abyssus abyssum invocat ad strepitum canalium Dei, ut omnes undæ & fluctus super nos transeant, Psal. 42. v. 8.

Quemadmodum enim 1. baptizare quandoque idem est ac lavare, sicut usurpatur Marc. 7. v. 3. ubi de Judæis & Pharisæis Evangelista memorat, quod è foro venientes non manducant, *ιδαν μὴ βαπτίζονται*, nisi laverint manus: Lotione verò nemo carere potest: Ita & crux omnibus hominibus communis est, in specie verò qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12.

2. Sicut infantes in Ecclesiâ toto corpore aquæ immerguntur, mox verò indomnes extrahuntur: ita nos quandoque adeò limo tribulationum immergimur, ut certissima mors ob oculos versetur, sicut discipulis Christi accidit Matth. 8. v. 25. sed Deus manum nobis porrigit, ut incolumes evadamus ad terram, velut Paulus, Act. 27. v. ult.

3. Sicut ille, qui in aquam submergitur, omnibus viribus enititur, ut emergat: sic & nos sub cruce media adhibeamus, quibus liberemur. Præcipuum est ardens oratio. Ut enim necessitas docet natâre, sic & necessitas docet orare: Domine, in angustia requisierunt

te, meditatio : quando eos caſtigas, Eſa. 26. v. 16.

4. Velut, qui in aquam mergitur, madet, ſed à Sole viciffim ſiccatur: ſic viciffitudinibus hujusmodi & pii ſubjecti ſunt, ut quidem multæ ſint tribulationes juſtorum, ſed de omnibus his liberat eos Dominus, Pſalm. 34. verſ. 10. poſt temſtatem tranquillum facit, & poſt lacrymationem & ſletum, exultationem inſundit, Tob. 3. v. 22.

Sic Chriſtianiſ gemino baptiſmo opus eſt, *Lucis* & *Crucis*. *Lucis*, qui ipſiſ imperitur in infantia, in nomine Patris, & Filii, & Spirituſ ſancti, Matth. 28. v. 19. Niſi enim quiſ renatuſ fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum cælorum, Joh. 3. v. 5. & *Crucis*, quo carere non poſſunt, per omnem vitam ſuam.

Dux Johannes Fridericuſ, Elector Saxonie flavam crucem in tergo gerebat, cum Anno 1503. die 30. Junii in lucem ederetur. Quod videns ſenex Paſtor dixit : Hic puer crucem geſtabit toti orbi conſpicuam.

Nos dilecti! omnes nobiſcum crucem in mundum inferimus, primam vocem emittimus ploranteſ, Sap. 7. verſ. 3. & ſi rectè miſeriam noſtram expendimus, vix tantum temporis reliquum eſt nobiſ, ut lacrymas ab oculiſ abſtergamuſ. Occupatio magna creata eſt omnibuſ hominibuſ, Sir. 40. v. 1.

Quando igitur accidit, ut eruce baptiſzeriſ, ſolatiuſ hoc arripe, quod in infantia tuâ alio quoque baptiſmo tinctuſ, per lavacrum aquæ in verbo adedò Servatori tuo initiatuſ ſiſ, ut neque moſ neque vita, neque Angeli, neque Principatuſ, ne-

que virtuteſ, neque iſtantia, neque futura, te ſeparare poſſint à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, Rom. 8. v. 38. 39.

III. *Orationiſ novum*. Hic Chriſtam ad Salomeſ dicentem audimuſ : Neſcitiſ, quid petatiſ. Non quidem ignora- bant illi, quid peterent, *juxta rationem & concupiſcentiam carniſ* : verum qualitateſ Regni Chriſti non intelligebant, ideo petitiſ eorum erat, 1. *Contra Deum*, qui miſit Filium ſuum, non miniſtrari, ſed miniſtrate, & dare animam ſuam redemptionem pro multuſ, Matth. 20. v. 28. 2. *Contra Regnum Chriſti*, quod non eſt de hoc mundo, Joh. 18. v. 36. 3. *Contra propriam eorum vocationem*, non enim domiſati, 1. Petr. 5. v. 3. ſed Evangelium prædicare debebant, armuſ militiæ ſuæ conſilia deſtruenteſ, & omnem altitudinem extol- lentem ſe, ad verſuſ ſcientiam Dei, 2. Cor. 10. v. 5. Ex hac cauſa Chriſtuſ ait : Neſcitiſ, quid petatiſ.

Idem & nobiſ quandoque accidit, ut petamuſ *noxia*, ſicut infantuſ, qui cult- rum vel facem ardentem petunt, quæ læderentur, ſi acciperent. Verum ut pater illiſ talia non largitur : ſic & Pater cæleſtiſ non largitur, quæ ſaluti magiſ obſunt, quam proſunt.

ſcit ille tempuſ optimuſ,
Nobiſque nullum dat malum,
Spes hæc repoſta nobiſ.

Nonnunquam petimuſ *inutilia*, ſicut Midas, qui à Baccho ſuo orabat :

- - - Efficè quicquid

Corpore contigero, ſulvum vertatur in aurum.

Sed quàm ſtultè egerat, deprehendebat, cum & cibuiſ in aurum verteretur. Sic hodiè

hodiè adhuc multi divitias & pecunias precantur, nescientes quid petant. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, 1. Tim. 6. v. 9.

Deus quidem promittit, se exauditurum preces nostras, Psal. 50. v. 15. Esa. 65. v. 24. & omnia daturum, quæcunque petierimus, Joh. 16. 24. At promissio conditionalis est, si nimirum in Christi nomine, ad voluntatem ejus & in fide oremus. Hoc nisi fiat, nescimus, quid petamus, nec exauditionem sperabimus, quicquid enim non ex fide est, peccatum est, Rom. 14. v. ult. Hinc Jacobus: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, Jac. 4. v. 3.

In temporalibus proinde voluntati Dei nos subjiciamus, cum leproso orantes, Domine si vis, potes me mundare, Matth. 8. v. 2. non enim vult sibi præscribi tempus, sed habet definitam horam juvandi, Joh. 2. 4. mirabile facit consilium, & magnificat sapientiam, Esa. 28. v. ult.

De Secundo.

SEquitur Medela, quæ fuit
I. Ex Christi promittitudine. Quærit enim ex Salome: Quid vis? juvandi promittitudinem innuens. Hunc morem adhuc hodiè observat, quam primùm loqui incipimus, aures suas ad orationem nostram inclinat, & ait ad usum quemque nostrum: Quid vis? In voca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Psal. 50. v. 15. Antequàm clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam, Esa. 65. v. 24. Matth. 7. v. 7. Quis igitur coràm Domino hoc se non humiliaret, ut adoret eum, quia ad eòdè promtè respicit in orationem humi-

lium, nec spernit preces eorum? Psalm. 102. v. 18.

Magnum hinc oritur solatium. Sæpè inter sacrum & laxum stamus, nemo nos adjuvare potest, & licet ingemiscamus, nemo est, qui consoletur nos, Thren. 1. v. 21. Hinc Jobus queritur: Fratres mei, sicut inundatio torrentium præterierunt, Job. 6. v. 15. & David: Amici mei, & proximi mei, è regione plagæ meæ stant. Et propinqui mei de longè steterunt, Psal. 38. v. 12.

Verùm quando Christo ærumnas nostras exponimus, Servatorem habemus paratissimum, qui benevolè respondet nobis: Noli timere, quia ego tecum sum. Cum transferis per aquas, tecum ero &c. Esa. 43. v. 1. 2. quin & rebus omnibus desperatis ille opitulatur, non enim manus ejus abbreviata est, Esa. 50. v. 2. sed aperta, Psalm. 145. v. 26. ejusque dexteræ est mutatio, Psal. 77. v. 11.

II. Ex calicis aptitudine. De quo ait Servator: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? De Deo ait Regius Psaltes, quod calix in manu ejus, vini meri plenus infusus, ex quo omnibus infundat, Psal. 75. v. 9. Hic calix tribulationis est, ex illo Christus in passione suâ bibit, & nos respondere ipsi cogimur, quilibet demensum suum habet, Act. 9. v. 16. Nam qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus, Luc. 14. v. 27.

Ne igitur murmuremus, aut impatienter feramus. Calix saltem est, non dolium, non amphora, non labrum: est potio ad vires nostras demensa, cui omninò pares sumus. Deus enim, qui nobis eam infundit,

dit, fidelis est, nec patitur quenquam tentari, supra id quod potest, 1. Corinth. 10. v. 13.

Præterea non soli sumus nos, sed omnes filii Dei ab exordio mundi usque ad præsens tempus ex eo biberunt, qui adhuc in vivis sunt, bibunt ex illo, & qui dehinc futuri sunt, hæ enim passiones toti, quæ in mundo est, fraternitati fiunt, 1. Petr. 5. v. 9.

Si potio tua amara tibi videtur, recordare, quod & aliis illa non dulcis fuerit. Per crucem probamur.

Sic itur ad astra!

Tandem calicem crucis Deus auferret, & calicem lætitiæ propinabit irriguum; profecto bonitas & misericordia prosequitur nos, omnibus diebus vitæ nostræ, Psal. 23. v. 6.

III. Ex gloria cœlestis amplitudine, de qua Christus: Sedere ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare: sed quibus paratum est, à Patre meo. Ex quo consequitur, electos in vita æterna ad hanc gloriam perventuros esse; per angusta enim ad angusta: ibi Reges & Sacerdotes erimus, Apoc. 1. v. 6. ibi Angelos judicabimus, 1. Cor. 6. v. 3. & magna confidentiâ stabimus, adversus eos, qui in hoc mundo nos angustiaverunt, Sap. 5. v. 1.

Ad dexteram & sinistram sedere, notat

1. *Tranquillitatem.* Qui enim quiescere vult, sessum capit. Sic nos in hoc Seculo stando & eundo lassamur: sed ibi ad dulcissimam quietem pervenimus, & in habitationem pacis adsciscemur, ubi nil nisi pax & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. v. 17. Apoc. 3. v. 21.

2. *Dignitatem.* Quando Magnates men-

te assident, carissimi quique ipsis à dextris & sinistris sedent. Ita jam quidem purgamenta hujus mundi sumus, omnium petipsema, 1. Cor. 4. v. 13. Tragœdia omnium Diabolorum. Sed veniet tempus, ubi Christo à dextris assidebimus, lætabilem vocem audituri: Venite benedicti Patris mei &c. Matth. 25. v. 34.

3. *Opum superfluitatem.* Qui enim Regibus à dextris & sinistris assidet, magno hinc fruitor commodo, & ingentibus opibus donatur. Verùm vanitas vanitatum, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet, Luc. 12. v. 15. *Quid prodest arca plena bonis, si conscientia sit inanis?* Augustino dicente. Vide ergò ut dives sis in fide, Jac. 2. v. 5. dives in bonis opetibus, 1. Tim. 6. v. 18. dives in caritate, in scientia & in omni experientia, Phil. 1. v. 9. sic habebis vitam, & abundantius habebis in æternum, Joh. 10. v. 11.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ambitionem vita.* Salome cum filiis suis hæc in parte enormiter peccavit, ambitione enim percita, filiis suis sollicitabat, ut unus in Regno Christi terreno, quod somniabat, sederet ad dexteram, & unus ad sinistram. Hoc vitium est feedum, quo homo efflatur, ut functione illa, in qua à Deo collocatus est, non contentus vivat, sed semper plus ultra meditetur. In cœlum, inquit talis, conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo, Esa. 14. v. 13. 14. Verùm sicut

Abso-

Absolom quercui adhæsit, cum diadema Regium affectaret, 2. Sam. 18. v. 9. Sic multis incommoditatibus obnoxii sunt, qui sorte suâ non contenti vivunt. Multos supplantavit præsumptio, & confidentia mala intellectus eorum, perdidit eos, Sir. 3. v. 26.

Proximior Jovi, proximior fulmini. Sicut profundæ valles pluvîâ humectantur: excelsi verò montes fulmine feriuntur: Ita Deus gratia & benedictione suâ humiles prosequitur, superbos verò & elatos in ira suâ collidit. Abominatio Domini est omnis arrogans, Prov. 16. v. 5.

Quod si igitur sapis, mi Christiane, vitium hoc cane & angue pejus fuge, & operam da humilitati & modestiæ. Sicut enim leo non nocet illis, qui ipsi suppliciant: Ita & Christus Leo de Tribu Juda affectus est, Apoc. 5. v. 5. elatos semper contentibiles reddidit, Sir. 10. v. 16. Qui verò sub potenti manu ejus se humiliant, gratiam & salutem ab eo impetrant.

Junius Brutus aliquando cum duobus nobilibus adolescentibus, è Regio Tarquiniorum stemmate natis, Delphos proficiscebatur. Cum igitur Apollini sacrificassent, quærebant ex eo, quis illorum Romæ, supremo dominio potiturus esset? & responsum capiebant, illum fore, qui primum matrem suam osculaturus esset. Intellexit id Brutus, subito in terram pronus cadens, & osculans eam: factum ergò, ut superatis Tarquiniis, primus Romanus Consul evaserit.

Quod si & vos ad honores evahi, & Principes cæli fieri vultis, terram osculimini, matrem omnium nostrum, Sir. 4. v. 1. h. e. humiliari, & cum Abrahamo con-

fiteri vos oportet, quod terra & cinis sitis Gen. 18. v. 27. Qui enim seipsum humiliat, exaltabitur, Luc. 14. v. 11.

II. *Decenter ora.* Hic Christus his supplicantiibus exprobrat, quod nesciant, quid petant. Adhuc hodiè hæc in parte peccatur.

Multi enim petunt *sine intelligentiâ*, putantes se in multiloquio exaudiri, Matth. 6. v. 7. hi nesciunt quid petant, ideoque nec exaudiuntur, quia enim Deus Spiritus est, in Spiritu & veritate adorari oportet, Joh. 4. v. 24. Oratio verò sine devotione, sicut corpus est absque anima, hiæc Deus queritur, Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 8.

Multi orant *sine penitentia*, & hi nesciunt, quid petant. Nam lavamini, inquit Deus, mundamini, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, & venite & disceptemus invicem, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur. Aliàs dicit Deus: Cum extenderit manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaveritis orationem, non audiam, Esa. 1. v. 15. seqq.

Bias unus ex septem Græciæ Sapientibus aliquando in mari navigabat, cum maleferiatis quibusdam. Tempestate igitur surgente, Deos suos implorare incipiebant. At Bias dicebat ad illos: Silete, ne vos Dii navigare sentiant.

Nos in hoc mundo, velut in mari navigamus, & à decumanis fluctibus sursum deorsum agitamur, ut sat causæ nobis sit sedulo orandi, juxtà tritum illud: Qui nescit orare, intret mare, & discat navigare, Quando verò oratio è corde impænitenti

nitenti proficiscitur, nil nisi vindictam à Deo poscit, Deus quippe peccatores non audit, Joh. 9. v. 32. Victimæ impiorum abominabiles Domino, Prov. 15. v. 18.

Multi precantur *sine reverentia*, & hine sciunt, quid petant, nec ideò exaudiuntur. Non superbi ab initio placuerunt Deo: sed humilium & mansuetorum semper illi placuit deprecatio, Judith. 9. v. 16.

Multi orant *sine confidentia*, in nomine & merito Christi orare negligentes: & hi nesciunt, quid petant, nec effectum precum sentient: sicut nec fratres Iosephi gratiam impetrare poterant, nisi fratrem Benjamin adducerent, Genes. 43. v. 29. Joh. 16. v. 24.

Multi orant *sine differentia*, neglecta conditione, quâ bona temporalia à Deo petenda sunt. Hi similiter nesciunt, quid petant, adeoque nec exaudiuntur. Certum enim discrimen hâc observandum est. Spiritualia bona petenda sunt sine conditione, quia ea Deus nobis sine conditione promisit, ut quæ perfectè bona, & semper emolumento nobis sunt. Temporalia verò cum hâc conditione, si Deo ita placeat, & nostræ salutis proficit. Dei enim gloria semper respicienda est, ne ipsi modum aut tempus præscribamus, & reverenter voluntatem nostram voluntati ejus subiciamus, exemplo Davidis, 2. Sam. 15. v. 25.

Si ita, Vos mei! orationem nostram conceperimus, certissimè nos Deus exauditurus est, si non ad voluntatem, certè tamen ad salutem. Si non dat, quod pe-

timus, dabit id, quod est utilius. Latatur enim ad benefaciendum nobis, Jerem. 32. v. 41.

III. *Teipsum nega*. De his duobus discipulis Evangelista refert, quod interrogati à Christo, num possint calicem bibere, quem ipse bibiturus esset, & baptizari baptisinate, quo ipse baptizaretur, præsumtuose responderint, Possumus.

Hæc magna erat præsumtio, quam semper vitemus oportet. Sine Dei enim ope atque auxilio nihil possumus, Joh. 15. v. 5. Gratia Dei est, quæ nos antecedit, comitatur, & persequitur, si bonum opus perficimus. Quicumque igitur semper Deum secum habet, ut Assaph, Psal. 73. v. 23. & ita unus Spiritus cum eo est, 1. Cor. 6. v. 17. in eo quoque virtus ejus perficitur, 2. Corinth. 12. v. 19. & sustentabit eum, ut nemo ipsum rapere possit de manu ejus, Joh. 10. v. 28. Qui verò seipso & viribus suis nititur, ille ruit & interit. Profectò filii vitii sunt mendacium, si ponderentur in statera, ipsi simul ipsa vanitate sunt leviores, Psal. 62. v. 10. Quilibet proindè cum Ecclesia oret:

Fide laboro languidâ,
 Fer Christe opem nutanti,
 In gratia spero tua
 Succurre desperanti:
 Tentationem mitiga,
 Ne dira me pessundet,
 Tu tempera,
 Ne vincat à malâ,
 Spes me tui sustentet.